



1. Melchioris Schmidij Diss. de Linguis sacris. 1685.
2. Joh. Bernh. Hahn Diss. de appellatione Linguae Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1713.
3. Joh. Henri. Honel Diss. de vocis quam Hebraei vocant <sup>felix.</sup> 1673.
4. Valent. friderici Diss. de filia vocis. 1670.
5. Henri. Liedert Diss. de mandato scribendi novum testamentum. 1719.
6. Joh. Henri. Lypij Diss. de usu Linguae Syriacae. 1726.
7. ejusdem de historia Linguae Sanctae. 1726.
8. Mich. Ghercke Diss. de fama Graecae Linguae. 1716.
9. Joh. Bernh. Hahn Diss. exhibens decadem observationum philologicarum, e Literatura Graeca, Chr.
10. ejusdem, de appellatione Linguae Chrae. quae dicitur Sancta. 1715.
11. ejusdem, Diss. exhibens decadem observationum philologicarum e Literatura orientali. 1715.
12. Bernh. von Salden Diss. de Aora, 1709.

DISSERTATIO EXEGETICO - THEOLOGICA, 77  
DE  
**OBUMBRATIONE**  
**SPIRITUS S. SUPER** 28  
**MARIA,**

Ad Verba Luc. I, v. 35.

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.

*CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICAE,*

SUB PRÆSIDIO

**DN. FRIDERICI DEUTSCH,**

S. Theol. D. & Profess. Primar.

*placido Eruditorum submitte  
Examini*

**M. HENRICUS SEDENZI**

Reg. Pruss.

IN AUDITORIO MAJORI,

*Anno MDCCVIII. d. Julii.*

---

REGIO MONTI, Typis REUSNERIANIS.

SUPREMISS  
IN REGIMINE PRUSSICO CONSI-  
LIARIIS INTIMIS,  
VIRIS

*PERILLUSTRIBUS, PERMAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS  
ATQUE EXCELLENTISSIMIS*

DOMINIS  
DN. CHRISTOPHORO, COMITI  
à *Wallenrodt*!

Curiae Provincialis Magistro, & Ordinis Prussici Equiti,  
Hereditario Domino in *Pachollen / Preckelwitz / Altstadt / Wilfinen /  
Ziegelacken / &c. &c.*

DN. CHRISTOPHORO ALEXAN-  
DRO à *Kauschken*!

Supremo Burggrabio, ac Prussici Ordinis Equiti,  
Hereditario Domino in *Eisewagen / Kirschnehen / Madrau / &c. &c.*

DN. GEORGIO FRIDERICO à *Krenken*!

Cancellario, Feudorum Directori, Summi Tribunalis  
Præsidi, Prussiciq. Ordinis Equiti,  
Hereditario Domino in *Weslinen / Poren / W. H. Schöben / &c. &c.*

DN. FRIDERICO WILHELMO  
à *Kamitz*!

Supremo Marechallo,  
Hereditario Domino in *Podangen / Lomp / Rosenau / Maustrifen / &c. &c.*

DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS

*Hanc dissertationem Theologicam, in sui suorumque studiorum  
commendationem, omni debita submissione offert*

M. HENRICUS *LEDERE* / A. & R.

**V**erba, quorum considerationem & enucleationem suscepimus, sunt Angeli Gabrielis ad Mariam, quibus futuram in ipsâ conceptionem Filii DEI adumbrare, & fidem Virginis confirmare debebat, & sic à Luca CAP. I. 35. proponuntur :

Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσει ἐπὶ σοί, καὶ δύναμις ὑψίστη ἐπισκιάσει σοί, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται τὸς Θεῶν. Spiritus S. superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit te: ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

πνεῦμα in SS. usurpatum invenimus de DE O Patre, Filio & Spiritu S., omnibus tribus Personis Trinitatis. De DEO Patre adhibetur Joh. IV. 24. Filio attribuitur quando Apostolus Rom. I. 4. de Filio DEI, qui natus ex semine David secundum carnem, hunc in modum fermocinatur τὸ ὁμοθρόνον τῶ θεῶ ἐν δυνάμει, καὶ πνεῦμα ἁγιωσύνης, qui declaratus est Filius DEI in virtute seu potenter, juxta Spiritum sanctificationis i. e. divinam suam naturam, quæ est essentia Spiritualis, sancta & sanctificans. Vid. Gerhardus ad h. l. epist. ad Rom. qui & loca parallela adducit i. Tim. III. 16. i. Pet. III. 18. Heb. IX. 14. De Spiritu S. tertiâ Personâ Trinitatis hoc vocabulum occurrit passim: Adhibetur siquidem illud à sanctis DEI hominibus, tum quando de essentia Spiritus S. loquuntur, v. g. Matth. XXII. 19., tum quando illis sermo est de ipsius donis i. Cor. XIV. 32. Hic πνεῦμα in specie tertiâ Personam Trinitatis denotare, dubio omni caret, imprimis cum τὸ ἅγιον addatur, quod πνεύματι in Scriptura non additur, nisi quando de Personâ hâc tertiâ Trinitatis sermo instituitur. Præterea Personam non verò dona Spiritus in nostro textu indicari, apparet ex actione, quæ Spiritui tribuitur.

A

buitur. De Didymi Alexandrini vero regula : *Apostoli quando intelligi volunt Personam Spiritus S. addunt articulum τὸ πνεῦμα, sine quo Spiritus S. dona denotantur*; quæ hic in contrarium adduci posset, annotandum est, eam fallacem esse, & maximopere decipere, cum in contrarium profert Script. S. dicta, benè id observante Salomone Glassio Phil. Sacr. Lib. III. tr. 2. can. 3. Leigh in Critica S. p. 265. putat, hanc vocem sine articulo notare Spiritum S., cum articulo, aliud aliquid, exempla propterea etiam adducit. Sed & hæc observatio non est universalis, prout non solum celebris Autor ipse confitetur, allegando in contrarium loca ex oratione Christi valedictoria, sed & quilibet, alia in contrarium profert loca v. g. Mat. IV. 1. Act. II. 4. Rom. IIX. 11. 16. 23. 26. 1. Cor. II. 10. 12. &c. diligenter perpendens, ultro ad stipulabitur. Hic Spiritus dicitur ἅγιος Sanctus. ἅγιος à multis derivatur ab α privativo & γῆ terra, ita ut ἅγιος idem notet, ac non terrenum, quod est sine terra, quod est extra terram. Alii etymologiam ejus deducunt, ab ἄλω colo, veneror, & monent, hoc nomine designari eum, qui ob summam integritatem & perfectionem reverendus sit omnibus. Suæ hæc deductiones etymologicae gaudeant veritate, nos easdem jam non examinabimus, id tamen certum est, Spiritum S. non esse terrenum sed cœlestem, verum DEum ab omnibus omnino hominibus verò adorationis cultu venerandum & colendum. Dicitur etiam propterea Sanctus; & non tantum propter singularem characterem scil. opus sanctificationis, quod proximè & immediatè Spiritus S. peragit, & ad quod præstandum à Patre & Filio in corda credentium mittitur, sanctus est, sed & propter essentiam, ratione cujus essentialis sanctitas cum Patre & Filio ei competit.

§. II.

§. II.

De hac tertia Persona Lucas inquit ἐπέλευσται super-  
 veniet. De ἐπέρχομαι sic scribit Clar. Leigh. jam à nobis  
 citatus. Hoc verbum dicit, invenitur Act. I. 8. Interdum vio-  
 lentie significationem inclusam habet; Scapula: raroç, in N. T.  
 usurpatur, verum ubi denotat magnas vires & donum aliquod  
 multo majus illò, quod antea datum erat, seu potius additionem  
 quandam ad donum antea datum. Hoc suum enunciatum ex  
 variis Scripturæ locis probare annititur, nimirum ex Luc. I.  
 35. XI. 22. XXI. 26. 35. Act. IIX. 24. XIII. 40. XIV. 19. Eph.  
 II. 7. Jacob. V. 1. Ut autem Lectori hujus observationis ver-  
 ritas eò distinctius & dilucidius innotescat, lubet loca hæc  
 partim integra recensere, partim simul applicationem ad-  
 jungere. Luc. XI. 22. hæc leguntur verba: ἐπὶ πάντων δὲ ὁ ἰσχυρὸς  
 τερθὲ αὐτὸς ἐπέλθων νικήσῃ αὐτὸν, τὴν παντοπλίαν αὐτὸς αἰρεῖ, ἐφ' ἣ  
 ἐπιποιοῖται, καὶ τὰ σῦλα αὐτὸς ἀεθιδίδωσιν. Hic verbum ἐπέρχο-  
 μαι habet significationem violentiæ & vires magnas deno-  
 tat, unde per irruere, invadere reddi potest. Violentiæ  
 etiam significationem vox hæc habet Luc. XXI. 26. 35. quan-  
 quam in hoc ultimo versu, non tam violentia, quàm ad-  
 ventus ad judicium celeritas, hoc vocabulo innuatur. Hoc  
 sane quilibet ex constructione & combinatione cum laqueo  
 concludere & videre potest. Laqueus enim sumitur in sen-  
 su metaphorico, significatque subitaneum, improvisum &  
 inpræmeditatum malum, annotante Flac. part. I. Clav. Script.  
 p. 532. num. 31. Ulterius allegatur à Clariss. Leigh. vers. 24.  
 Act. IIX. qui hujus est tenoris, ἀποκλειθεὶς δὲ ὁ σίμων, εἶπε δεήθε-  
 τε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμῶς πρὸς τὸν κύριον, ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὡς  
 εἰρήκατε. Hoc in loco ἐπέρχομαι non de additione quadam  
 ad donum ante datum usurpatur, sed de cumulatione pœnæ  
 divinitus immittendæ, quam deprecatum ibat Simon, acci-

4  
pitur. Unde inconvenienter ab A. locum istum adductum fuisse videtur. Nec reliqua duo sequentia loca ex Actis adducta huc spectant, cum non probent, quod probare debent. Nam Act. XIII. 40. ἐπιέρχουμαι adhibetur de poena à Prophetis olim prædicta, ne ea irruat, & cap. XIV. 19. de Judæis cum impetu supervenientibus. Ex epistolis duo quidem loca in medium afferuntur. Prior desumitur ex c. II. Ephes. v. 7. proposito autem A. inservire non potest, siquidem ibidem Paulus de tempore quò revelandum erat mysterium divini consilii, loquitur. Posterior invenitur Jacob. V. i. verum ἐπιέρχουμαι ibidem in participio adhibitum, de miseris quæ divitibus obventuræ intelligendum est. Noster autem locus à Leigh statim ab initio observationi Philologicæ subjunctus, eandem quam maxime declarat. In eo enim ἐπιέρχουμαι notat additionem quandam ad donum antea datum. Pertinent huc verba Bernhardi ab Hugone in Comment. in h. l. adducta. Sunt autem seqq. *Superius dicta est (Maria) gratia plena, & nunc quoque dicitur Spiritus S. superveniet in te. Numquid potuit impleri gratia, & nondum habere Spiritum S., cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam incretat, quomodo superventurus noviter repromittitur? An forte non ideo dicit simpliciter (veniet) sed addit (super) quia & prius quidem incretat, per multam gratiam, sed nunc superventurus nunciatur, propter abundantioris gratie plenitudinem, quam effusus est super illam? Sed cum plena jam sit, quomodo id amplius capere potest? Sed prior gratia mentem ejus tantum repleverat, posterior etiam ventrem replevit.* Nimirum Maria jam antea habebat Spiritum S., qui in corde ejus tanquam in templo suo habitabat, nunc autem ante hanc conceptionem, ad donum illud, hoc per promissionem & prædictionem addebatur, Spiritum S. non communi & ordinario modo, & ratione eâ quâ univique conceptioni ut creator & fabricator præsens est, de qua



qua Job. XXXIII. 4. sed plane singulari & extraordinariâ, super Mariam superventurum, eamque mirificâ suâ virtute foecundaturum.

§. III.

Modus ἐπιλεύσεως, quomodo Spiritus S. supervenerit, est quidem inexplicabilis, quia magnum est mysterium. Nihilominus tamen conati sunt quidam Patres & Theologi eundem declarare quantum valuerunt, tum per remotiorem ejus, quod non quadrat in hanc ἐπιλεύσειν, tum per illustrationem ex aliis Scripturæ phrasibus. Augustinus Serm. VI. de Tempore hæc de hoc modo profert verba: *Christus non de Substantia Spiritus S. sed de potentia, nec generatione, sed jussione & benedictione conceptus est.* Glossa ordinaria his verbis eundem expressit. *Spiritus superveniens in Virginem, & mentem illius à sorde vitiorum castificavit, ut cælesti esset digna partu, & in utero ejus Redemptoris corpus sua operatione, non virili semine, creavit de carne Virginis.* Unde etiam idem Spiritus nominatur Altissimi. Brentii verba merentur ut adducantur. Sic autem ille in Comment. in nostrum textum. *Quid ergo? inquires: Annon & alii homines concipiuntur virtute Altissimi & operatione Spiritus S. nonne omnes homines creantur à Domino, & nascuntur non humanâ sed divinâ potentiâ? Pater meus, inquit Christus, usq. nunc operatur, & ego operor. Et per ipsum ait Paulus, cum ipso & in ipso sunt omnia.* Quid ergo hic novi de Christo predicatur? Certe multum novi. *Esi enim unusquisque hominum concipitur virtute & potentia Altissimi, tamen non concipitur hoc modo, hoc ordine, his conditionibus & circumstantiis, quibus Christus. Alii concipiuntur potentia DEI sed è femine viri. Christus autem concipitur potentia DEI sine femine viri. Alii concipiuntur in immunditie: quotquot enim ex Adamo descendunt, maledictioni obnoxii sunt, & filii iræ: Christus*

autem concipitur in Spiritu Sancto. Tameſi enim ad aliorum hominum conceptiones accedat & ipſa virtus DEI, homo tamen qui concipitur, relinquitur carnalis, proptereaq; organon (nimirum vir ex Adam prognatus) quo homo concipitur natura ſua carnale eſt. In conceptione autem Chriſti organon ſanctum eſt & cœleſte. Organon enim eſt non vir quipiſiam, ſed Spiritus S. &c. Danhawerus ex Baſilio M. hom. II. in Hexaem. modum hunc exprimit per avem ovis inſidentem & eadem foventem, nec non per modum incubandi, quo Spiritus S. in prima creatione aqvis incubavit. Verba ejus legi poſſunt Tom. V. Laſt. Catech. p. m. 667. Sat emphaticè etiam ex Damasceno Scherzerus hoc in caſu loquitur : Spiritus S. inquit Loc. IIX. Systematis, ſuperveniet non *αερματιῶς* ſemen communicando, ſed *ἰνυμῖνῶς* ſemen virgineum & maſſam ſanguineam corpori Chriſti adæqvata ſanctificandò, & abſque libidine ad locum generationi deſtinatum miraculoſè transferendo.

S. IV.

*καὶ δύναμις ὑψίς & ἀκρίτως σοι.* Et virtus Altiffimi obumbrabit te. Sic ulterius verba in dicto noſtro fluunt. *Δύναμις* in Script. S. DEO paſſim tribuitur, in quo immenſa eſt virtus ac potentia, nec impoſſibile apud eum omne verbum Luc. I. 37. Sed hic perſonæ eſt notatio in phraſi *δύναμις ὑψίς*, quomodo Chriſtus aliàs DEI virtus dicitur 1. Cor. I. 24. & Luca XXIV. 49. Salvator ait; diſcipulos induendos virtute ex alto i. e. Spiritu Sancto. Quæritur hinc de quanam Trinitatis perſona hæc denominatio ſpecialiter accipienda, cum certum ſit, opus peractæ conceptionis & incarnationis Filii DEI eſſe opus ad extra, adeoque ab eodem nec Patrem nec Filium, nec Spiritum S. excludendum eſſe. Bene Rufinus Expoſit, in Symbolum Apoſtolorum, cum hæc Angeli ad

ad Virginem verba expendit. Vide (ait) cooperantem sibi  
in vicem Trinitatem. Spiritus S. venire dicitur super Virginem  
& virtus Altissimi obumbrare ei. Quae est autem Virtus Altissi-  
mi, nisi ipse Christus, qui est Domini virtus & Domini sapientia.  
Cujus autem haec virtus? Altissimi inquit. Adest ergo Altissimus,  
adest virtus Altissimi, adest Spiritus Sanctus. Haec est Trinitas  
ubiq. latens, ubiq. apparens, vocabulis personisq. discreta, inse-  
parabilis vero substantia Deitatis. Quamvis solus Filius nascatur  
ex Virgine, adest & Altissimus, adest & Spiritus Sanctus, ut  
& conceptus Virginis sanctificetur & partus. Etenim, cum  
ϱ̄ Altissimus, DEUS Pater gloriae in Scriptura passim dicatur,  
nisi tamen *δύναμις ἑστὴν* appellatus esse reperitur; quia sicut Pater à nullò, neque per generationem, neque  
per processionem est, ita neque virtus Altissimi dici potest.  
Ad indicandam ergò secundam Personam Trinitatis Ange-  
lum hanc appellationem adhibuisse, aliqui ex Patribus aequè  
ac Theologis nostris persvasi sunt, quos inter recensendi  
veniunt Ruffinus loc. cit. Johannes Damascenus lib. III. O.  
F. c. 2. Theophylactus, Gerhardus in Exeg. Loc. IV. §. 105.  
Quistorpius, alique, qui propterea alia loca adducunt, in  
quibus Christus, virtus DEI, & potentia dicitur I. Cor. I. 24.  
Ei. IX. 6. quare & hoc locò Christum appellari virtutem  
Altissimi, rectè se inferre arbitrati sunt.

§. V.

Alii verò per Virtutem Altissimi tertiam Personam Tri-  
nitatis Spiritum S. intelligi existimant, quos inter recen-  
sendi sunt Euthymius, Beda, Maldonatus, Salmeron, Vata-  
blus, Brentius, Danhawerus, Glassius; ex quibus Brentii  
& Glassii testimonia tantum adduxisse sufficiat. Brentius in  
in Comment. in h. l. sic fatetur: *Hic locus docet nos enim fidei no-  
stra articulum, quo confitemur Christum esse conceptum de Spi-*

*ritu*

ritu Sancto. Et huc etiam faci[li], quod in Mattheo scribitur. Is enim ita ait. Cùm Maria desponsata esset Josepho, priusquam congressi fuissent, deprehensa est gravida à Spiritu S. Et mox. Quod in illa conceptum est à Spiritu S. profectum. Glaffii hæc reperiuntur Phil. S. lib. V. tract. I. cap. IIX. p. m. 186. seqv. Respondetur ipsi (Maria) ab Angelo, quod supernaturali & plane singularissima Spiritus S. & virtutis Altissimi operatione hoc tantum opus sit efficiendum. Ea vero operatio tum ἐπιλευσεως, tum Ἐπιουδωσως verbo per anthropopathiam exprimitur. Prius generalius est, operationem Spiritus S. supervenientis notans, posterius specialius operationis illius modum aliquatenus exprimens &c. Horum opinio convenit etiam cum ipso contextu. In eo enim Angelus loquitur de causâ efficiente conceptionis Christi principali, eâ, quæ in hoc opere maxime se manifestavit, nimirum de Spiritu S., & modum duplicem, quo ille conceptionem operaturus & producturus sit, adducit; ἐπιλευσων scil. & Ἐπιουδωσων. Loquitur hic Angelus de Spiritu S. tanquam causâ efficiente conceptionis carnis Christi, ita ut per verba Virtus Altissimi & explicet antecedentia & indicet, Spiritum sanctum esse illum, qui ut reliqua opera DEI sancta perficit, etiam hoc opus summa cum potentia perfecturus sit. Ego opinor Spiritum S. voluisse, hæc metaphora umbra, ut cunque adumbrare & delineare illud ineffabile mysterium, creatantis DEI humanitatem Christi, de Virginis corpore seu in eo efficientis. Quare non dubito, idem esse obumbrabit, quod præcedens superveniet: ut ita consveto Hebraismo idem bis dicatur diversis verbis, inquit Flacius part. I. Clav. Script. p. 1326. num. 7. Approbant sic sentientium opinionem etiam loca parallela, in quibus phrasæ æquipollentes sunt, venire Spiritum S. in aliquos, hosque virtute ex alto indui Luc. XXIV. 49. & Act. I. 8. Neque natura verbi Ἐπιουδωσων repugnat, sed potius istam

istam explicationem egregiè confirmat. *ἐπιπροσέχων* sumitur hic in sensu metaphoricò, atque annotante Theophylactò, ab avibus, quæ per incubationem excludunt & producunt pullos suos, similitudo petitur, & innuitur, quod sicut in prima creatione Spiritus S. non otiosè incubaverit τὸ chaos: ita etiam idem Spiritus virtute suâ Mariam obumbraverit. Quidam vocabulum hoc græcum illustrent ex Chuppa Hebræorum, quæ in nuptiarum solemnitate adhibebatur, ut cum sub dio fieret consecratio, umbram præstaret, atque solares radios à capitibus Sponsi & Sponsæ arceret. Et hæc illustratio nostræ sententiæ inservit. Nam quemadmodum Chuppa Hebræorum umbram faciebat & omne damnatum à radiis solaribus metuendum avertēbat: ita etiam Spiritus S. hac sua obumbratione Mariam protexit, ab omni infestatione, corruptione & læsione. *Abscondet Te in Ægyptum fugiendo. Et non est adherendum verbo, quasi eam tantum in Ægypto protexerit, quia positum est pro exemplo & est metaphora, quia sicut umbraculo tegitur aliquis à calore Solis ne ei noceat, sic gratia Spiritus S. protexit Virginem ab omni infestatione; inquit glossa ordinaria, adducente Hugone de S. Caro, cui adjungimus Bedam, qui breviter sed satis nervosè sic loquitur. Virtus vegetans, umbra refrigerans Spiritus eam fecundavit, virtus à corruptione servavit.* Tandem & simplicitas hanc sententiam commendat. Illorum aliqui, qui hæc verba de Filio DEI interpretantur, proobumbrabit, ponunt obumbrabitur, ac si sensus foret, divinam naturam & λόγος assumptâ carne obumbratum iri, quò umbra vel protectio virgini illâ servandâ fiat, quæ expositio aliquantum longè petita videtur; cum ii, qui de Spiritu S. verba accipiunt, textum simpliciter, & proximè de eò, de quò expressâ reperitur facta mentio, exponant.

## S. VI.

Antequam in explicatione verborum pedem promoveamus, lubet adhuc inquirere, quare necesse fuerit, ut Spiritus S. Mariam supervenerit, itemque quare Angelus de Myfterio incarnationis loquens, vocem obumbrationis adhibuerit? Primum quod attinet, dicimus id factum fuisse, ut Christi conceptio sancta & Christus ipse sanctus esset, quemadmodum ipse Angelus in nostris verbis hoc indicaturus, fructum ventris Mariæ sanctum appellat. Unde Hilarius lib. II. de Trinit. *Spiritus S. de super veniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans, quia ubi vult spirat Spiritus, natura se humane carnis immiscuit, & id, quod alienum à se erat, viâ suâ ac potestate presumpsit, atq; ut ne quid per imbecillitatem humani corporis disideret, virtus Altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus veluti per umbram circumfusam confirmans, ut ad se mentivam incunctis Spiritus efficaciam, substantiam corporalem divina virtutis inumbratio temperaret.* Inter alias causas cur Christus conceptus sit de Spiritu S. Cornelius à Lapide in Comment. in h. l. ex Toletio, Origene & Maximo, hanc etiam affert, quod scilicet, *decevit DEum novo modo concipi, nimirum ex Virgine, inoperante Spiritu S. Cum enim Christus qui concipiebatur DEus esset & homo, conveniens erat, ut utrumq; in conceptione innotesceret: conceptio enim ipsa hominem esse declarabat, non enim conciperetur, nisi homo esset: ac conceptionis modus ostendit etiam esse DEum. Concipienim de Virgine sine viro indicabat, qui concipiebatur plus esse quam hominem.* Quare Angelus de Incarnatione Filii DEI usurpaverit vocem obumbrationis, rationes variæ ex Veterum & Nostrorum Theologorum scriptis adduci possunt. Gregorius lib. XXXIII. Mor. c. 2. putat id factum esse ad subinnuendum statum Christi exinanitionis, Angelumque prædixisse, in eo Deitatem quasi umbrâ

umbrā velatum iri. Quò Origenes Hom. III. in Josuam respexie  
dicens: corpus Christi vocari umbram, quia in passione in-  
star umbræ humiliatum, obfuscatum & obscuratum fuit. Ad-  
hibuit Angelus vocem obumbrationis, ut in mentem revo-  
caret, quod vita præfens, quam in conceptione Christo Spi-  
ritus S. dabat, nihil aliud esset, quam quasi umbra veræ vitæ  
& æternitatis, notante Ambrosiò in Pf. CXIIX. Serm. V. Vo-  
luit etiam Angelus hâc voce Mariam pariter ac Ecclesiam de  
protectione divinâ certam reddere. *Virtus Altissimi obum-*  
*brabit te i. e. proteget & roborabit te, ut activitatem Spiritus S. in*  
*tantò opere & Filiò DEI concipiendò sustinere valeas; inquit Hila-*  
*rius lib. II. de Trinit. Obumbrabit Te i. e. carnem sumptam in*  
*te umbraculum Ecclesie præparabit, sunt verba Hugonis Ca-*  
*renf. in Comment. in h. l. In memoriam quoque Angelus*  
*hòc obumbrationis vocabulò unicuique revocat, incarna-*  
*tionem Christi magnum esse pietatis mysterium, quòd nec*  
*perfecte scire possumus, nec temere perscrutari debemus.*  
*Quomodo DEUS factus sit homo noli disquirere, factum est ut ipse*  
*novit; dicit Chrysofostomus Hom. VII. in c. I. Johannis. Ob-*  
*umbrabit te, quia res nimirum in Sacramento erat, & quòd sola*  
*per se Trinitas in sola & cum sola Virgine voluit operari; soli da-*  
*tum est nosse, cui soli datum est experiri. Bernhardus Serm. IX.*  
*Super Missus est.*

#### §. VII.

Concludit tandem sic Angelus, diò propterea, quod ex  
te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, *Quia Filius ille,*  
*quem concipies & paries, erit JESUS promissus ille Messias, cui Pa-*  
*ter cœlestis dabit sedem David, ut Rex sit in æternum, v. 31. 32. &*  
*33. Luc. I. & quia Spiritus S. superveniet te, & virtus Altissimi*  
*obumbrabit tibi v. 35. (quo simul divina & humane nature unio*  
*innuitur) igitur quòd nascetur ex te, vocabitur & erit vere Filius*

DEI, & verus DEUS in carne manifestatus: Prout hæc Angeli  
verba Glassius *ἠεὶ φησὶ* Philol. S. lib. III. tract. VII. p. m. 631.  
Conjunctione autem conclusiva διὸ quapropter, Angelus  
non veram, primariam & *ἀποδεικτικὴν* vel *συνεκτικὴν* i. e. con-  
tinentem causam communicatæ cum homine divinitatis ex-  
promit, sed consequens in ratiocinatione sua infert ex distin-  
ctis sui sermonis antecedentibus membris, ceu Petavius etiam  
Dogm. Theol. Tom. II. lib. III. de Trinit. c. VI. §. 2. contra  
Crellium observat, cujus verba ibidem non tantum allegat;  
sed sic etiam respondet. *Quibus verbis* (scil. Spiritus S. su-  
perveniet in te &c.) *hoc quod ex illo in Mariam descensu Spiritus*  
*S. & obumbratione, sive ut ita dixerim, incubitu virtutis DEI*  
*consequens sit, aperit, ut sit, appelleret, DEI Filius id, quod ista*  
*nativitate progenitum fuerit. Crellius verò in hac Lucae sententia*  
*vexanda enucleandaq; inanem, & supervacaneam operam con-*  
*sumpsit. Causam enim hic afferri putat, cur Christus DEI Filius*  
*sit, & quidem unicam: nempe quod sine virili sexu de solo Spiritu*  
*S. Virgo illuminato utero concepit, ac peperit: adeò ut nullum alium*  
*præter DEum, Patrem habuerit, cujus virtute atque efficacia in-*  
*terveniente i. e. Spiritu S., conceptus ac generatus fuit. Non est*  
*autem credibile, si alia longe potior fuisset causa, ob quam Filius ille*  
*ex Maria nasciturus, à primò statim ortu DEI Filius esset futurus,*  
*Angelum illud non fuisse indicaturum, itaque verba sua conceptu-*  
*rum, ut intelligeret Maria, aliam adhuc potiozem hujus rei cau-*  
*sam subesse. Sed nihil hæc argumentatione levius, quam quidem*  
*varius modis eludere & infringere possumus. Primum enim nihil*  
*necesse est, Angelum putare, causam reddere voluisse, quare homo*  
*ille, cujus natiuitatem ex Virgine, Virginique nunciabat, DEUS*  
*aut re ipsà futurus esset, aut ab hominibus appellandus. Non id*  
*inquam agebatur, ut communicata cum homine divinitatis ve-*  
*ram, primariam & ἀποδεικτικὴν vel συνεκτικὴν i. e. continentem*  
*causam*



causam exprimeret, aut saltem aperte significaret. Neque enim ad limatam & dialecticam subtilitatem exigenda illius verba sunt, sed ad communem & popularem sermonis consuetudinem, in qua cause instar ea nonnunquam afferuntur, que non tam cause sunt, quam effecta & consequentia, aut quoquò modò cum re conjuncta. Nasci aliquem ex Virgine, si absolute & universè loquimur, non habet necessarium divinitatis argumentum. Erat tamen consentaneum, ut si DEus carnem assumpturus, & in mundum venturus esset, è Virgine nasceretur. Quare ex eo, quod è Spiritus S., & divinà virtute conceptum Filium paritura Virgo sit, majus homini simplici, ac proinde DEum DEique Filium fore consequens est, id quod inde nasceretur. Hoc enim etsi necessario non sequitur, si absolute & extraordinarie DEI potentie ratio ducatur: tamen si ordinariam spectemus, ac DEI statutum illud quod fixum est, immotumque, ut nemo hominum communium aliunde, quam ex utroq; sexu generetur, rectè hoc ex antecedenti necitur, DEI istum Filium esse, cujus ortus humana propagationis modum inusitata novitate superaret. Hanc vim potest habere causalis vox, ideò, ut quod consentaneum & decorum est, immo vero ex ordinaria rerum administratione, voluntateque DEI consequens est, colligat.

§. VIII.

Appellat verò Angelus fructum ventris Mariæ sanctum, in genere neutro, non sine causa. Clarius etenim in h. l. ita scribit: Longe majorem vim habet in genere neutro, quam si dixisset, qui nasceretur sanctus, ut sit sensus. Nasceretur quidem ex te veluti homo, sed multo majus nomen illi dandum. Glassius modo citatus lib. III. Tract. l. c. 21. existimat neutrum hic poni pro masculino, ut  $\tau\acute{o}$  sanctum idem sit ac sanctissimus, qui etiam Syrum Interpretem pro sua allegat sententia. Danhawerius part. V. Lact. Catech. p. m. 671. propterea hic Christum

41  
stum in genere neutro dici sanctum observat, quia καὶ ἕξουσι  
sanctus est, quocum nullus Sanctorum in his terris pos-  
sit comparari, quia omnem carnem humanam in utero con-  
ceptam sanctificaturus erat, quia etiam futurus summus Pon-  
tifex, de quo Apostolus dixit. Talem debebamus habere  
Pontificem, qui esset sanctus, innocens, immaculatus, à pec-  
catoribus separatus Heb. VII. 26. Vatablus cum Grotio sta-  
tuit, hoc nomine in genere neutro positò Spiritum S. mon-  
strare, cujus Christus sit originis, quomodo genitus. *San-  
ctum q. d. non humana sed divina vi genitum*, inquit Vatablus;  
& Grotius: *ἄγιον autem dicitur, id quod ex Maria erat nasciturum*,  
*quia exemptum communi legi humane originis*. Dicit  
Sanctum, non Sanctus, ut indicet, Jesum fore sanctum san-  
ctitate omnimodè perfectâ ob unionem hypostaticam, h. e.  
fore sanctum sanctorum i. e. sanctissimum, imò ipsam sancti-  
tatem, q. d. Jesus, qui ex te nascetur, erit sanctissimus, imò  
ipsa sanctitas. Bernhardus Serm. IV. super Missus est, An-  
gelum propterea indefinitè locutum esse statuit, quia non  
aliter excellentiam ac magnificentiam nascitori describere  
aut exprimere potuit. Verba ejus citantur & allegantur à  
Cornelio à Lapide in h. l. & sic sonant: *Ut quid, inquit, ita  
simpliciter sanctum & absq; additamento? Credo quia non ha-  
buit quid propriè dignève nominaret. Illud eximium, illud ma-  
gnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis  
carne, cum sua anima, unico Patris erat uniendum: si diceret  
sanctus caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale  
poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè san-  
ctum, quia quicquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul  
dubio, ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus Sanctificatio-  
nem, & per Verbi assumptionem. Quæ Cameron hic observat  
nostro calculò non probantur. Observandum hic est quod*  
Ange-

Angelus hic dicit τὸ ἁγιόδικον non verò ὁ ἁγιόδικος, quò signi-  
 ficatur non hominem illum qui nasciturus erat, dici sanctum con-  
 cretè, sed naturam divinam in eo appellari Sanctum ἁγιον discretè,  
 nempe quomodo Dan. IX, 24. natura Christi divina seu Persona  
 ejus divina dicitur אֱלֹהֵי קָדְשׁ sanctitas sanctitatum, munus  
 vero ejus mediatorium voce unctionis significatur. Itaque quod  
 in Christo est essentialè, ab Angelo vocatur ἁγιον Sanctum, & illud  
 ipsum vocatur Filius DEI. Unde efficitur (1.) quod appellatio illa  
 Filius DEI designat aliquid in Christo essentialè, personam nempe  
 ejus divinam. (2.) quod illud essentialè dicitur sanctum. Itaque  
 novum non est, nec absurdum, ut natura Christi divina dicatur  
 ab Apostolo πνεῦμα ἁγιοῦ Rom. I. 14. Est hoc novaturientis  
 ingenii, circa explicanda Scripturæ dicta, in Camerone no-  
 tati, evidens nimis specimen.

§. IX.

Quia verba ἐκ σὲ ex te, juxta testimonia Zegeri, Dru-  
 fii, Grotii, Petavii &c. in aliquibus exemplaribus græcis  
 tum latinis absunt, in quibusdam autem reperiuntur, quaeri-  
 tur? An verba hæc retinenda sint, an vero non? Nos cum  
 Grotio & Glassio omnino retinenda esse censemus. Namea  
 Gordono attestante, leguntur in exemplaribus correctissimis,  
 à Syro itidem ac Arabe adhibentur. Ex Veteribus Scri-  
 ptoribus, his verbis adversus Hæreticos, negantes Christi  
 corpus ex corpore Virginis formatum esse, utitur Athanasius  
 in epistola ad Epictetum Tom. I. Opp. p. 585. edit. Paris. Et  
 Gabriel circumspècte & cum bona cautione evangelizavit, non  
 simpliciter dicens, id quod natum fuerit in te, ne forinsecus intro-  
 ductum in eam corpus existimari possit, sed quod ex te (inquit) na-  
 scetur, quò ex ejus natura, eum primogenitum esse agnoscere lice-  
 ret. Horum verborum mentionem etiam injecerunt Ire-  
 næus L. III. 26. Tertullianus contra Praxean c. 26. Novatia-  
 nus

21  
nus lib. de Trinit. c. 19. Epiphanius contra Ebionitas. Ex  
græcis Interpretibus has voculas legit & exposuit Titus Bo-  
strensis, quanquam apud Theophylactum non inveniuntur.  
Zegerus in Criticis Sacris, se in Augustino, Beda & Gregorio  
hæc verba reperisse notat. Retinenda ea esse nos arbitra-  
mur, & quia hæc lectio, per locum parallelum Gal. IV. 4.  
ubi similis locutio, DEUM misisse filium γενόμενον ἐκ γυναικός,  
ab Apostolo adhibetur; stabilitur: & altera lectio vel per  
Hæreticorum corruptionem orta, ut Glass. in Phil. S. p. m.  
232. sentit; vel in favorem Hæreticorum excogitata & in-  
troducita, asserente hoc Ephrem Syro, qui in oratione de  
pretiosa Margarita sic loquitur. *Quaedam tamen exemplaria  
supprimunt illa, ex te, ut hæresibus gratificentur.* Erasmus hæc  
verba non retinenda esse vult, cum sic in h. l. scribit: *Cete-  
rum illa duo verba ex te, nec in ullis Græcorum exemplaribus ad-  
dita reperi, ne apud Theophylactum quidem, nec in antiquis Codic-  
ibus latinis præterquam in uno, in quo nescio quis in margine ad-  
jecerat. Proinde miror unde in primam hujus operis editionem  
invaserunt. Est autem absolutior sermo, si non addatur. Non  
enim hic agitur de persona concipientis, sed de novo modo concipi-  
endi, deq. fœtus excellentia. Apparet adjecta ab explanatore  
quopiam, tametsi in Aldina editione comperi addita.* Liqueat  
Erasmus variis rationibus inductum, statuisse, verba *ex te*  
non esse retinenda. Verum enim verò si accuratiùs eæ per-  
pendantur, apparebunt infirmæ imo falsæ. Falsum est in,  
nullis omninò exemplaribus græcorum eadem reperi. Si  
nunquam hæc verba in græco quòdam exemplari existe-  
runt, quomodo & undenam Athanasius eadem sine omni  
contradictione adversus Hæreticos allegare potuit? Licet  
Theophylactus hæc verba omiserit, ea tamen expressere alii  
ex Scriptoribus & Interpretibus græcis, imprimis Titus Bo-  
stren-

strensis. Codices Latinos antiquos omnes præter unum harum vocalium lectione destitutos esse negamus, siquidem Lovaniensis Bibliorum editio ad marginem ostendit, in octo tantum manuscriptis latinis & quibusdam græcis hæc verba non legi. Careant etiam omnes vetusti latini Codices hæc lectione, eandemque unicus tantum, forsitan Aldinus habeat; quid inde sequeretur? An hoc? Ergo non est retinenda. Minimè! verum hoc, reliquos Codices, qui omittunt, minus accuratos, per hunc fortè accuratiorem, corrigendos esse. Sermonem absolutiorem esse, si hæc verba, ex te, non addantur, Erasmus ex hoc medio termino probare annititur, quia in Textu de novo modo concipiendi & de foetus excelentiâ agitur, non verò de personâ concipientis. Sed & in hoc fallit seipsum, & alios decipit. In Textu enim, aut in verbis Angeli integris, non tantum de novo modo concipiendi agitur, sed simul & de Personâ concipientis. Angelus siquidem expressè Mariæ hunc modum concipiendi denuntiat, & clarè asserit Spiritum S. super Mariam venturum, eandemque obumbraturum. Suprà nostram sententiam antiquitate Ecclesiasticâ seu autoritate PP. stabilivimus, quam probationem non infringit, quod Irenæus c. 1. Lib. V. hæc verba omisit, quæ lib. III. c. 26. allegaverat. Nam Irenæus hæc verba omisit, non quod isthæc in exemplari non legerit, sed propterea, quia vocalæ istæ scopo ipsius non infervi-  
rent. Volebat etenim Irenæus Ebionitas ad credendum, Christum esse Dei, Patris omnium Filium, adducere; ad id cum sufficerent voces το γεννημενον υγιου, ut quod genitum est sanctum, appelleretur ac sit Filius Altissimi, reliquas ex Textu voces non adducebat.

§. X.

Liquet ex verbis Angeli hucusque ita explicatis, Christum ex Maria Virgine nasciturum; unde incongruum non erit,

C

erit, distinctè inquirere in causas, quare ex muliere, eâque Virgine, eâdemque desponsatâ is nasci voluerit. Cùm Angelus in hoc Lucae capite de potentia DEi asserat, DEO nullam rem impossibilem esse, DEUS utique alio modo corpus ei formare potuisset. Prout Adami carnem efformaverat è limô terræ, ita & ipsi novam carnem vel ex materiâ longe præstantiori, quam hominis erat, vel etiam ex nihilo parare potuisset, sed noluit. Noluit Christus corpus suum aliunde, quam ex homine assumere, ut hâc suâ incarnatione magnitudinem amoris divini hominibus declararet. Etenim assumendo carnem humanam Christus ostendit, DEum hominem honorare, bona sua eidem communicare, & quod maximum declarandi amoris divini erga genus humanum argumentum est, infirmitates nostras in se suscipere. Honorasse DEum hominem per incarnationem Verbi certissimum est, carnem enim humanam in unitatem Personæ suæ assumpsit Filius DEi, sibi que arcèssimè univit. Per incarnationem Filii sui DEus potestatem nobis dedit, ut filii ejus efficeremur, Joh. I. 12. confortesque divinæ naturæ, ut Paulus Gal. IV. 4. & Petrus 2. Epist. I. 4. ostendunt. Quæque bona nobis DEus misericors per incarnationem JESU CHRISTI communicaverit, benè Augustinus Serm. VI. de natal. Dom. exprimit scribens: *In hac die, quâ Salvator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur. In hac die lux cælestis credentibus redditur, & in æternâ nocte diabolica figmenta damnantur. In hac die lux crescit ex lumine, virtutum virtus attollitur. Gloria æternitatis erigitur, reparationem suam Domino secundum carnem nascente mundus amplectitur. Plenâ ergo diei hujus festivitas, in qua DEus nostri memor terrena visitare dignatus est, & amissam mortalibus lucem sua claritati restituit, quia ipse est splendor & gloria æterna, Dominus noster JESUS Christus cui & honor & gloria*

ria in secula seculorum. Infirmittates nostras suscipiendô,  
 Christum magnitudinem amoris divini declarasse, testis est  
 Leo M. Serm. III. in solemnit. Nat. J. C. *Assumpsit formam  
 servi sine sordè peccati, humana provehens, divina non minuens.  
 Exinanitio enim illa qua se invisibilis visibilem præbuit, inclinatio  
 fuit miserationis, & defectio potestatis: ut ergo ad aternam bea-  
 titudinem ab originalibus vinculis, & à mundanis revocemur er-  
 roribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascen-  
 dere.* Maluit Christus carnem suam ex massâ humanâ susci-  
 pere, quàm ex aliâ aliquâ materiâ, quia per naturam huma-  
 nam, à diabolô quondam in Paradisô victam, diabolium, ho-  
 minum infensissimum hostem vincere destinaverat. *Pote-  
 rat DEUS, inquit Augustinus, hominem aliunde assumere, non  
 de genere istius Adami, qui suo peccato obligavit genus humanum;  
 sed melius judicavit, ut de ipso quod victum fuerat, genere, assu-  
 meret hominem DEUS, per quem generis humani vinceret inimi-  
 cum, lib. XIII. de Trinit. c. 28.* Hæc quoque indicantur ab  
 Apostolô Paulô Rom. II. 3. *Quod enim, dicit, legi impossi-  
 bile erat, eò quod infirmaretur per carnem, hoc DEUS missò propriò  
 suo Filiò in similitudine carnis peccati præstitit, & de peccato con-  
 demnavit peccatum in carne.* In quem locum, hæc huc faci-  
 entia verba Chrysofomi aurea reperimus. *Advenit unige-  
 nitus, nec prius destitit donec difficultate illâ nos liberasset; &  
 quid majus est mirabili istò vincendi modò? Non enim aliam car-  
 nem à nostra sumpsit; sed eam ipsam superatam & oppressam.  
 Quemadmodum si quis mulierem videret tenuem, ac juridica  
 actione percussam, illiusq; se filium esse dicens, cum Regis esset Fi-  
 lius, ab oppressoribus illam liberaret. Hoc sane & ipse fecit, cum  
 se filium hominis confessus, auxilium attulit, peccatum condemna-  
 vit. Non igitur ausum est peccatum amplius percutere carnem,  
 Imo plaga mortis peccatum ipse percussit. Hoc enim ipsum est,*  
 C 2 quod

quod condemnatum est ac perditum; non percussa caro, sed peccatum quod antea carnem percusserat, id quod omnium maxime est admirandum. Si enim victoria ista non fuisset in carne facta, non adeo fuisset admiranda, quandoquidem & lex hoc praestitisset. Hoc vero stupendum est, quod trophaum hoc cum carne fixit, ita ut ea ipsa caro, qua millies à peccato dejecta suppressa, fuerat, tam illustrem adversus peccatum victoriam tulerit. Videtur enim quot nova & inopinata extiterint. Unum quidem quod peccatum carnem non vicit. Alterum quod etiam victum est, idque ab ipsa carne. Non enim idem est non vinci, & vincere tandem quod perpetuo consueverat prosternere ac dejicere. Tertium, quod non solum vicit, sed & punivit. In eo siquidem, quod non peccavit, effecit, ut non vinceretur: eo vero quod mortuus est, peccatum vicit condemnavitque, demonstrans quam illi esset terribilis ea caro, quae primum contemptibilis fuerat. Carne nostra involvi ac contegi non dedignata est summa divina Majestas, ut per carnem hominis vilissimam assumptam, victoriam suam adversus humani generis hostes redderet gloriosiore. Quò enim abjectius & debilius est instrumentum aut medium, quo hostis debellatur, eò major est gloria reportatae victoriae. Sicut David ob devictum Goliathum maximam reportavit gloriam, quia eum non armis Saulis, aut lancea, sed fundam sustulerat: ita etiam Christus in pugna cum Goliatho infernali, per corporis sui in cruce suffixionem, medium, quò nihil vilius & contemptibilius videri poterat, victoriam suam, tam celebrem, tamque amplam consecutus est, ut omnis lingua jam confiteatur Jesum esse Dominum, ipsique genu omne flectatur, docente Paulo Phil. II. Peccaverat homo, necesse ergo erat, ut etiam per hominem justitiae divinae satisfaceret. Propterea ergo Christus assumpsit carnem humanam, & secundus Adam factus est, ut in-



injuriam DEO à primò Adamò illatam, expiaret, & pro of-  
fensà per oblationem corporis sui satisfaceret. *Neque enim  
juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit  
eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semet-  
ipsum contrarium statuens homini. Propter hoc & Dominus se-  
metipsum filium hominis confitetur, principalem hominem illum,  
ex quo ea, qua secundum mulierem est plasmatio facta, in semet-  
ipso recapitulans: uti quemadmodum per hominem victum de-  
scendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victo-  
rem ascendamus in vitam. Et quemadmodum accepit palmam  
mors per hominem, adversus nos, sic iterum nos, adversus mor-  
tem per hominem accipiamus palmam, scribit Irenæus lib. V.  
adversus hæreses cap. XXI.*

§. XI.

Ex muliere carnem Christus assumere voluit, ut eâ-  
dem ratione restaurationem generis humani inciperet, quâ  
ejusdem perditio ortum sumpsit. *Audistis hodie Fratres cha-  
rissimi Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem.  
Audistis agi, ut homo cursibus iisdem, quibus dilapsus fuerat ad  
mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de  
salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina inquit Chrysolog-  
us Serm. II. de annunciat. qui inter ejus Sermones in ordine  
est CXLII. cui adjungimus Maximi Taurinensis verba, quæ  
Homil. VI. de natal. Dom. habentur & hujus sunt tenoris:  
Parturivit femina salutem mundi ut qua fomes existerat ini-  
quitate, fieret ministra justitie, & per quam mors sibi in hunc  
mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingres-  
sum. Augustinus lib. de fide & Symbolò, & Maximus Tau-  
rinensis homiliâ sextâ putant Christum sic nasci voluisse, ut  
utrique sexui foemineo æquè ac masculino honorem exhibe-  
ret. Masculino in eò, quod virilem humanitatem sibi assu-*

C;

meret,

meret, foemineo verò, cùm ex eò carnem susceperit. Posterioris verba hæc sunt : *ut ostenderet creator humani generis utriusque se sexus curam habere, & utrumq; se velle salvare, vir nascitur & procedit ex fœmina, quatenus advertamus nullam esse apud DEUM inter virum & fœminam in percipiendâ salute distantiam.* Nascuntur infantes ordinaria nascendi lege, ex muliere. Hunc ordinarium nascendi modum, quantum quidem fieri poterat, & infinitæ ejus perfectioni non repugnabat, Christus observare non recusavit. Hæc observatio est Damasceni, qui proinde lib. IV. c. XV. F. O. hæc verba consignavit : *Natus est ex muliere sine Patre, & ex Patre sine muliere. Et quoniam ex muliere, lege partus, quoniam sine Patre, supra naturam nativitatis est. Et quoniam consuetudo in tempore (nam novem menses complens & decimum attingens nascitur) id fit lege partus: quod autem sine dolore, supra legem partus est.* Præterea ex muliere carnem Salvator noster assumpsit, puerque natus est, ut testaretur, se & mulierum & virorum, sexus utriusque infirmitates suscipere & portare, quemadmodum etiam Esaias Propheta c. LIII. prædixit. Denique ex muliere nasci Christus voluit, ut impleret illud, quod primis nostris Parentibus promissum erat; Semen mulieris contritum esse caput serpentis Genes. III.

§. XII.

Quare svavissimus noster, Salvator Virginem matrem habere voluerit, variæ à variis Doctoribus antiquis rationes in medium afferunt. Chrysostomus & Leo Magnus, hoc propterea factum asserunt, quia DEO & ipsius Majestati conveniebat, tam admirabili modo sine læsione matris nasci. Prioris egregiæ locutiones & expressiones videantur hom. XLIX. in Genesin. Posterioris autem verba Serm. II. in nativitate Domini sic sonant. *Novâ nativitate genitus est, conce-*

*pitur*

23

ptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paterna carnis concupiscen-  
tia, sine materno integritatis injuria: quia futurum hominem  
Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humane sub-  
stantia naturam, & humane carnis inquinamenta nesciret. Ex-  
tant quoque in Veterum monumentis, quædam hujus nati-  
vitatibus ex Virgine, causæ, petitiæ ex analogiâ tum primi &  
secundi Adami, tum generationis Christi æternæ à Patre, &  
generationis ejusdem in tempore ex Mariâ Virgine factæ.  
Quemadmodum Protoplastus ille Adam de rudi terra, & de adhuc  
Virgine, nondum enim pluerat DEUS & homo non erat operatus  
terram, habuit substantiam & plasmatus est manu DEI i. e. ver-  
bo Dei: omnia enim per ipsam facta sunt: & sumpsit Dominus limum  
de terra & plasnavit hominem. Ita recapitulans in se Adam  
ipse verbum existens ex Mariâ, quæ adhuc erat virgo, recte ac-  
cipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam  
habuit patrem hominem, & ex semine viri natus est, merito dicerent  
& secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de  
terra quidem sumptus est, & verbo DEI plasmatus est, oportebat  
id ipsum verbum recapitulationem Adæ in semetipsum faciens, ejus-  
dem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum  
sumpsit limum DEUS, sed ex Mariâ operatus est plasmationem fieri,  
ut non alia plasmatio fieret, neq. alia esset plasmatio quæ salvari-  
tur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine, inquit  
Irenæus lib. III. 32. Augustinus hæc etiam proponit Serm.  
XIII. de nat. Domin. & quidem his verbis: grande nobis my-  
sterium, divina Majestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim  
Deus noster cum primum Adamum facere vellet, non ex conjun-  
ctione viri aut mulieris, hominem ut esset, effecit, sed accipiens ter-  
ram, inde hominem divina quadam arte formavit: ita sine viri  
conjunctione Deum, in virginali alvo incorporari dispensavit.  
Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit ho-

2411202



minem sine homine per Mariam Virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra uirgine figuratus est, ita & Christus ex uirgine natus agnoscitur. Ibi tunc status DEi de terra uivum hominem surgere fecit ad uitam: hic mundum Spiritus S. de Maria uirgine Christum hominem figuravit, in quo DEus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur, hic renovatur & resuscitatur in Christo. Fuit reparatio, quomodo fuit hominis creatio. Deniq; sicut tunc in alvo terre Salvator Adæ membra composuit, sic etiam nunc in uirginis alvo Christus sua membra composuit. Conferantur quoque ea quæ habet Serm. V. In nat. Dom.: Sicut etiam ab æterno Verbum ex Patre sine diminutione substantiæ ejus genitum est, ita fas erat, ut eâ ratione, nimirum sine corruptelâ ex matre in tempore gigneretur. Sic hæc de re loquitur Damascenus lib IV. c. 25. Ipse Christus uirginitatis gloria non modo ex Patre sine initio, & sine duorum concursu genitus: sed & homo secundum nos factus super nos ex uirgine sine alieno consortio incarnatus est.

### §. XIII.

Incarnatus est Christus ex Maria uirgine, ut ostenderet, se esse uirginitatis amatorem, eandemque hominibus maximopere commendare. Speciale donum uirginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atq; ipse representauit, quod elegit in matre, inquit Ambrosius epist. 81. ad Syricium, in qua etiam attestatur incarnationem esse ex uirgine factam, ut Scriptura & Prophetia Es. VII. & Ezech. XLIV. impleretur. Ad uirginem missus est Angelus, nec nouiter nec foruitudo inventam, sed à seculò electam, ab Altissimò præcognitam & sibi preparatam, ab Angelis seruatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam; inquit Bernhardus Hom. II. super missus est. Residuum adhuc est, ut causæ nativitatis Christi ex matre desponsata, à nobis ex antiquitate ueneranda breuiter

viter adducantur. Christum ex virgine desponsatâ natum esse, ut mysterium incarnationis dæmoni occultaretur, auctum Damascenus lib. IV. O. F. c. 15. ita suam sententiam exprimens: *Quia observabat virgines nostra salutis inimicus propter Esaiâ prædictionem dicentis: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod est interpretatum nobiscum DEUS: ut deciperet eum, qui semper in sapientia gloriatur: ipse qui deprehendit sapientes in astutia eorum, in desponsationem puella Joseph traditur à Sacerdotibus.* Paria sunt hisce illa Ambrosii lib. II. Comment. in Luca c. I. *Non mediocris quoq; causa est, ut virginitas Maria falleret principem mundi, qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem (ut dixi) principem mundi fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cum Apostoli jubentur tacere de Christo, cum sanati prohibentur gloriari de remedio, cum demones præcipiuntur silere de Filio DEI. Fallendi (ut dixi) principem mundi fuisse consilium, etiam Apostolus declaravit dicens: Sed loquimur DEI sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum istius seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum Majestatis crucifixissent, h. e. nunquam me redimi Domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit ut vinceret, fefellit diabolum cum tentaretur, cum rogaretur, cum Dei Filius diceretur, ut nusquam divinitatis proprietatem fateretur.*

§. XIV.

Sicut ergo Angelus Gabriel in explicatis hætenus verbis, Mariam plenissime instruit de mysteriò incarnationis Filii DEI, quod Spiritus S. operaturus esset in ipsâ, tanquam templò sanctissimò seu thalamò, ex quo Sol justitiæ tanquam sponus proditurus erat Psalm. XIX. Ita nos ex Angelicò imò divinò oraculò exactè in articulò de incarnatione JESU Christi informamur. In nostrò siquidem dictò Angelus in-

D

car-

carnationis causam efficientem, modum, materiam ac consequens denominat. Quæ omnia præclare conspirant cum iis, quæ alibi tum in V. tum in N. T. de hoc mysteriò panduntur. In V. T. toties veritas hujus articuli adstruitur, quoties prædicitur Messiam ex semine mulieris, semine Abrahamæ, Isaaci, Jacobi, Davidis, imo ex Virgine nasciturum, eundem portaturum infirmitates nostras & propter nos passurum ac moriturum esse, quoties asseritur, DEum ipsum venturum & nos salvaturum, Messiam DEum & hominem futurum. Huc pertinent ex V. T. sequentia. Genes. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Es. VII. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Immanuel.* Es. IX. 6. *Natus est nobis puer, filius datus est nobis &c.* Jerem. XXXI. 22. *Creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Jer. XXXIII. 5. *Ecce dies veniunt & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & Sapiens erit &c.* Mich. V. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvula es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Typorum quoque, quibus incarnatio Jesu Christi in V. T. adumbrata est, hic mentio injicienda, nimirum scalæ Jacobi Genes. XXII. 2. quam incarnationem adumbrasse & præfigurasse, testatur Rupertus Comment. in Genes. c. XXI. nec non descensus roris in velus Gideon, de quo itidem Rupertus Comment. in Jud. VI. 37. In N. vero Testamento evidentissimè hoc incarnationis mysterium inculcatur. *Verbum caro factum est & habitavit inter nos, & vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre, dicit Evangelista Joh. I. 14. Sine controversia magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in spiritu, conspectus est ab Angelis, predicatus est gentibus &c.* 1. Tim. III. 16. *Ex quibus (Patribus Judæorum) est Christus quod*

quod ad carnem attinet, qui est super omnia Deus benedictus in se-  
 cula, Rom. IX. 5. Deus Ecclesiam proprio sanguine acquisivit;  
 Act. XX. 28. *JESUS Christus cum esset in forma Dei, non duxit  
 esse rapinam, parem esse cum DEO, sed ipse sese exinanivit, for-  
 ma servi accepta, similis hominibus factus est, & habitu inventus  
 ut homo, Phil. II. 6.* Supinam ergo produunt Sociniani igno-  
 rantiam statuentes, de incarnatione JESU Christi ne quod  
 quidem in Scriptura S. haberi. Hisce allegatis Scripturæ dictis  
 refutatur & maximæ falsitatis arguitur Smalcus hom. 8. in c.  
 I. Johan. scribens: *Nusquam ne semel quidem in S. Literis inven-  
 nir hanc locutionem, Deum esse hominem factum, vel aliquid  
 simile, ex quo hæc res colligi certò possit.* Volkelio etiam de ve-  
 ra Relig. lib. V. c. XI. asserenti, hanc de susceptâ in divinitate  
 conceptione, opinionem nec ullo sacrarum literarum testimo-  
 nio comprobari posse, os obturatur. Ecquid enim hoc locò  
 Lucæ clarius, Sanctum quod virtute Altissimi, & obumbra-  
 tione Spiritus Sancti, ex Maria nasciturum erat, filium DEI  
 vocatum iri; quia quod susceptum illâ extraordinariâ & su-  
 pernaturali ratione, in unionem verbi, quod erat apud Pa-  
 trem, communionemque nominis & proprietatum foret as-  
 sumendum. Unde falsum omnino est, quod Volkelius l. c.  
 scribit, *Lucam & Mattheum ex professo de Christi tum concep-  
 tione, tum nativitate scribentes, nullam planè hujus rei mentionem  
 facere.* Faciunt utique, modo non cœciterent Sociniani, vel  
 ad ipsum dicti Johannei jubar, Verbum carnem factum esse,  
 caligantes, ac sibi metipsis tenebras inducentes, unde solem  
 qui meridie lucet videre non possunt.

§. XV.

Cæterum, cogitandum est, hic in mysteriò haud pauca  
 latentia agnosci debere, quæ explicari satis ac intelligi non

possint. Unde non inconcinne aliqui annotarunt, voce *Ἰνσουλσίως*, quâ Angelus hic utitur, id etiam indicari, quod incarnatio magnum mysterium sit, cujus modum nec perfecte scire possimus, nec temere perferuari debeamus. Sicut Cherubim obumbrabant arcam foederis 2. Paral. V. 8. ne quis *כִּכְבֹּד* seu divinitatem super propitiatorium habitantem curiosius intueri auderet; & Seraphim tegebant faciem suam, Es. VI. 2. Ita Virtus Altissimi umbraculum interposuit, ne in modum *ἐκσυγκρίτως* curiosius inquiramus. Vid. Gerh. in Exeg. loco IV. §. 105. Ut magnum mysterium incarnatio nobis proponitur 1. Tim. III. 16. in quem locum Cyrillus Alexandrinus lib. III. contra Nestorium sic notanter scribit: *Est revera sapientia, nec humana quidem ullò modo, sed divina potius atq. in reconditis quibusdam profunditatibus, & incomprehensis difficultatibus posita, illud Christi mysterium. Ideo beatus David in Psal. XIX. cecinit: & posuit tenebras latibulum suum; in circuitu tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aëris. Ubi tenebras opinor, nihil aliud appellat, quam obscuram intelligentie perceptionem, quæ in oculis mentis instar caliginis occurrit.* Quocum Origenes convenit lib. II. *ἐπι ἀρχῶν* c. VI. mirabundus scribens. *Illud penitus admirationem humanae mentis excedit, nec invenit humanae intelligentie fragilitas quomodo intelligere possit, quod tanta illa potentia divina Majestatis ipsum illud verbum Patris atque ipsa sapientia Dei, in qua creata sunt omnia, visibilia & invisibilia, intra circumscriptionem ejus hominis, qui apparuit in Judea, fuisse credenda sit. Ut ut vero, incarnatio, quia mysterium magnum est, quomodo facta sit, intelligi satis non possit, non tamen inde cum Socino statim inferendum, ergo facta non est. Nam hæc ratio, non solum omnia mysteria è mediò tollenda essent, sed etiam in naturalibus haud pauca neganda, quæ quomodo fiant, percipi*



cipi nequit. Quis perfectè intelligit formationem sui corporis in utero matris? quis apodicticè & per veras causas cognoscit fluxum & refluxum maris? & tamen hæc & alia revera fiunt & facta sunt. Quia quoque incarnatio JESU Christi mysterium est, fides quidem Christiana primas potiores sibi vendicet partes, necesse est, nihilominus tamen nec omnis disputandi subtilitas ab hoc Mysterio arcenda. Confer, Petavium Tom. IV. lib. I. c. I. §. I.

§. XVI.

Quis incarnatus fuerit, hæc quæ explicamus verba, pariter docent. Incarnatus est Filius DEI, qui sicut à Patre ab æternò filius genitus, ita in tempore ex Mariâ natus, in hypostasin suâ divinitatis humanam naturam assumpsit: unde non insecitè Epiphanius hæc. LIV. quæ est Theodotianorum num. 3. illud διὸ καὶ τὸ γεννώμενον urget, dicens: ἵνα δείξῃ ἂνωθεν θεὸν λόγον, καὶ ἐν μήτρᾳ γεννώμενον, καὶ τὴν ἑαυτῶ ἐνανθεωποίησιν, καὶ κατὰ τὴν ἑαυτῶ ἁδοκίαν, καὶ δι' ἣν ἐκονόμησεν ἑαυτῶ ἐνανθρώπησιν εἰς ἡμῶν σωτηρίαν, προσήχησθαι διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεσθαι ὑπὸς θεῶ. Est etenim ille filius DEI supernâ nativitate à Patre genitus, etiam quoad hanc nativitatem in uterò virginis, salutis nostræ causâ factam, filii Dei nomine appellandus, ob unionem hypostaticam, quâ mediante homo hic natus in divinitatem ἔλεγε est susceptus. Damnamus verò calumniam Serveti, dum asserit Luc. I. 35. Christum propterea Filium Dei vocari, quia humanitas ejus concepta est de Spiritu S. non agnitâ ejus divinitate; Vid. Chemn. in L. Theol. part. I. p. m. 51. obs. 4. Quando autem dicimus Filium DEI esse incarnatum, non tantum personam ejus, sed & naturam divinam in persona Filii intelligimus incarnatam. Quia enim natura & essentia divina dupliciter consideratur, vel communiter, quatenus omnibus tribus Personis, Patri, Filio & Spiritui Sancto communis est, vel hypostaticè, quatenus in Personâ

30  
Fili DEI caractere hypostaticò insignita est ; hóc posteriori modò divinam naturam esse incarnatam dicimus, de quò videatur Martinus Chemnitius lib. de duab. naturis in Christo c. 2. Cumque asserimus, Filium Dei esse incarnatum, cum hác restrictò one, ut solus Filius Dei sit incarnatus, non Pater aut Spiritus S., intelligendum est. Rectè enim Damascenus lib. III. O. F. c. VI. citans dictum Dionysii, *θεότης ἑλικῶς ὑμῖν ἐν μίᾳ τῶν ἑαυτῆς ἐκoinῶνησε ὑποστάσεων*, ita explicat: Omnem & perfectam naturam Deitatis, in uná ejus hypostaseon esse incarnatam. Eadem enim natura divinitatis tota & perfecta est in singulis personis. Et quando dicimus Deitatem unitam carni, intelligimus id, quod Athanasius & Cyrillus dicunt, *τὴν φύσιν ἔ λόγῳ σαρκῶσαι*, Vid. Chemnit. I. c. Quare autem Filius & non Pater aut Spiritus S. carnem assumpserit, egregias ex antiquitate rationes Gerhardus Exeg. I. c. §. 104. nec non Hornejus part. II. disp. Theol. disp. I. Sect. I. §. 13. adducunt, quæ apud illos videantur.

§. XVII.

Non minùs incarnationis causam efficientem hic monstrat Angelus, eandem Spiritui S. attribuens. Etiam si enim caro Christi rectè producta atque formata dicatur à totà SS. Trinitate, tamen Angelus in hóc locò superventùs illius planè singularis & miraculosi Spiritus S. faciens mentionem ostendit, Spiritui S. formationem carnis peculiariter esse attribuendam, ob massæ & sanguinis virginalis sanctificationem, quia Sanctificatio Spiritus Sancti opus proprium est, & quia opera divinæ charitatis ac bonitatis ad nos redimendos, in Script. Spiritui Sancto appropriantur, eò quod ipse procedat ut amor notionalis Patris & Filii, sicut sapientia appropriatur Filio quasi verbo, omnipotentia Patri quasi principio & fonti, prout hæc sic proponit & effatur Augustinus in Enchiridio

ridio c. XL. tum, quia si hoc Patri adscriptum esset, non alia  
crederetur fuisse ipsius à Patre generatio. Ut ut vero Spiritus  
S. humanitatem Christi efformans, organizans, disponens & animans,  
causa efficiens est humanitatis, nullatenus tamen Christi Pater,  
aut Christus Spiritus Sancti filius dici potest. De hac quæstione  
agit Augustinus in Enchiridio c. XXXIIX. seqv. & quidem ita ut eandem  
non tantum proponat, sed & solvat. Numquid, dicit, ideo quod Mat. 1. 20. dicitur,  
Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, dicturi sumus,  
Patrem hominis Christi esse Spiritum S., ut DEUS Pater verbum  
genuerit, Spiritus S. hominem, ex qua utraque substantia Christus  
unus esset, & DEI Patris Filius, secundum verbum, & Spiritus  
S. Filius secundum hominem, quod quasi eum Spiritus S.  
tanquam Pater ejus de Maria Virgine genuisset. Quis hoc dicere  
audebit. Neq. opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur  
absurda, cum hoc jam ita sit absurdum, ut nulla fideles aures id  
valeant sustinere. Proinde sicut confitemur, Dominus noster  
JESUS CHRISTUS, qui de DEO DEUS, homo autem natus est de Spiritu  
Sancto & Maria Virgine, utraq. substantia divina scil. & humana  
Filius est unicus DEI Patris omnipotentis, de quo procedit  
Spiritus S. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu  
Sancto, si eum non genuit Spiritus Sanctus? An quia fecit eum?  
Neque enim quia mundum istum fecit DEUS, dici eum fas est  
DEI filium, aut eum natum de Deo, sed factum vel creatum vel  
conditum vel institutum ab illo, vel si quid hujusmodi recte  
possumus dicere. Hunc ergo cum confiteamur natum de Spiritu  
S. & Maria Virgine, quomodo non sit Filius Spiritus S. & sit  
filius virginis Mariae, cum & de illo & de illa sit natus,  
explicare difficile sit. Procul dubio quippe non sic de illo ut  
Patre: sic autem de illa ut matre natus est. Non igitur con-  
tendendum est, quicquid de aliqua re nascitur,  
conti-

34  
continuo ejus rei filium nuncupandam. Ut enim omitam alia :  
aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum vel lum-  
bricum, quorum nihil est filius. Ut ergo hæc omitam, quoniam  
tanta rei deformiter comparantur, certe qui nascuntur ex aqua  
& Spiritu S. non aqua filios eos recte dixerit quispiam, sed plane di-  
cuntur filii DEi Patris & matris Ecclesia. Sic ergo de Spiritu S. na-  
tus est, Filius DEi Patris non Spiritus S. Idem Serm. V. de  
Temp. s. II. de natali Domini, hoc quod Spiritus S. Pater Fi-  
lii dici possit, exinde negat, quia Christus non de substantia  
Spiritus S. sed de potentia: nec generatione sed jussione & benedi-  
ctione conceptus est. Impiam sic explodit Augustinus Photi-  
nianorum sententiam. Neophotiniani, Socinus lib. svas. ad  
Polonos c. 26. Smalcus in secunda parte Refut. Smiglecius p.  
158. & seqv. sic quoque refutantur, qui frustra verbum *ἑνω-  
σιν* obumbrandi obtendunt. Tota enim Spiritus S. ope-  
ratio *δημιουργική, ἀγιαστική, πλειωτική* ut veteres docent, fuit.  
Quemadmodum vero Spiritus S. non potest dici Pater Chri-  
sti, ita nec matris nomen attribuere ei fas erit; contra ac  
putavit Marius Victorinus lib. I. adversus Arium, item-  
que juxta testimonium Hieronymi in c. XVI. 13. Ezech.,  
Evangelium Nazaræorum, Spiritum S. pro matre Christi ha-  
bens: ceu observavit Dionysius Petavius Dogm. Theol.  
Tom. IV. de incarn. verbi, lib. 7. c. I. §. 3.

§. XIIX.

Modus incarnationis in Textu nostrò describitur per  
Spiritus S. *ἐπέλευσιν*. Hæc ostendit modum incarnandi non  
fuisse naturalem sed supernaturalem & summe admirabilem.  
Etiam si singula investigare posses, quæ in rerum natura sunt oc-  
cultæ, scito, adhuc divina generationis mysterium tanto esse dif-  
ferentius & eminentius, quanto creator creaturis potentior, quan-  
so artifex operis sui præstantior, quanto ille, qui semper est, eo qui

*ex nihilo cœpit esse nobilior, inquit Ruffinus in Expos. Symb. Apostol. Utut enim de divinâ Filii à Patre ab æternò generatione illa dictâ sint à Ruffino; non minustamen & ad istam, quæ in tempore facta est, ex obumbratione Spiritus Sancti, nativitatem accommodari possunt: cùm utique hunc creatorem operisque sui artificem, quique semper apud Patrem DEUS λόγος erat, talis decuerit nativitas, quâ à creaturis suis, nempe hominibus, differret. Nec proin indigna sunt verba Chrysologi, quæ hic legantur ex Serm. 141. de incarnatione JESU CHRISTI, & sic sonant: O homo estima quis sis, quantus sis, qualis sis, & tunc demum cogita, utrum possis dominicæ Nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota supremi Regis, tota divinitatis requiescit Majestas, utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum Virginis temerarius discursor attendere: utrum possis ipsas DEI manus operantes sanctum sibi corporis templam intra alvum genetricis, audax & curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis absconditum seculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis Angelis invisibile sacramentum: & ita cœlesti fabrica præsidere, ut deprehendas liquido, quomodo DEUS penetrante clausæ carnis intraverit: quemadmodum sacri corporis in illo venerabili utero præter Virginis conscientiam lineamenta pinxerit: quomodo præter concipientis sensum mansura seculis ossa solidaverit: qualiter præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam: quemadmodum præter carnis sollicitudinem totam carnis assumpserit veritatem: quâ ratione præter naturam, nostræ carnis integram susceperit qualitatem: & si ad hæc tibi liber non perpatuerit accessus: jam DEUS ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? Imo quia totum Deo est possibile, & tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile*

bile est pervenire, conceptum Virginis noli discutere, sed crede: Deum voluisse nasci pie sentis, quia facis injuriam si requiris magnam Dominicæ Nativitatis sacramentum; fide percipe, quia ne minima operum DEI assequi poteris sine fide, dicente Scriptura, omnia opera ejus in fide. Sed tu hic totum vis de ratione constare, ubi totum consistit ex fide: quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua homo. Quid tam rationabile, nisi ut Deus quicquid voluerit, possit? qui quod vult non potest, DEUS non est. Quæ ergo mandat Deus, exsequitur Angelus, implet Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, cæli narrant, annuntiat firmamentum, ostendunt stelle, magi predicant, pastores adorant, pecora cognoscunt, attestante Propheta Esai I. cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: tu homo agnosce &c.

## §. XIX.

Non tantum similitudinem ab umbrâ petitam, & ab Angelo adhibitam, sed & verba; idcò quod nascetur ex te Sanctum, subinnuere; membra Christi successive, non verò in instanti formata esse, ex quorundam sententia notat Theophylactus in Comment. hujus loci. Sicut avis obumbrat pullos suos, totos alis suis complectens, ita & divina virtus totam Virginitatem apprehendit, & hoc est obumbrare. Alius autem quispiam fortassis dicet, quod sicut pictor primum delineat & umbras inducit, & deinde perfectum colorem addit: ita & Dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans, primum delineavit illam in utero Virginis, compactâ ex sanguinibus semper Virginis carne, quam deinde paulatim figuravit. Sed hoc dubium. Sunt enim qui dicunt, quod ubi Dominus obumbravit uterum Virginis, statim perfectus fuerit infans. Alii autem hoc non recipiunt. Audi enim quid dicat. Ideo & quod nasceretur sanctum, hoc est, quod particulatim in utero crescit, & non statim perfectum exiit.

35

*existit.* Quod Theophylactus juxta aliam quorundam sententiam de Christo asseruit, quod membra sua sibi successivè formaverit, id quoque de Spiritu S. enuntiandum videtur. Quia enim Lucas in descriptione nativitatis Christi usus fuit vulgaribus ac usitatis vocabulis, quod Chemnitius in Harm. Evang. c. IIX. propterea factum esse monet, *ut ostenderet non querenda esse, præter Scripturæ testimonia miracula extraordinaria de nativitate Christi, sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in utero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum commitari solent, cogitanda esse de hac nativitate.* Sicut pueri communicant carni & sanguini, sic & ipse *ἁγνῶσις* participavit iisdem, inquit Apostolus Heb. II. 17. Maria per novem menses gessit uterum ut ex collat. cap. I. & II. Lucæ cum c. I. Matth. patescit. Tempus pariendi dicitur impletum fuisse Luc. II. 6. quod progressivæ (uti loquitur Dorschæus pentad. disp. III. thes. 52.) formationis videtur esse argumentum. Aliud tamen statuunt Basilii orat. de humanâ Christi generatione. Leo Magnus Serm. IIX. de natal. Fulgentius libr. de Fide ad Petrum Diaconum c. IIX. Damascenus libr. III. O. F. c. II. quibus recentiorum haud pauci assentiuntur, successivam membrorum Christi formationem vel ideò rejicientes (1.) quia Johannes non dicit Verbum factum esse embryonem, sed carnem, hoc est verum hominem, (2.) quia agens non Physicum, sed hyperphysicum fuit, nimirum Spiritus S., qui motiones & actiones in instanti expedire potest, cum sit omnipotens. Quamvis ad primum reponi posset, licet Johannes dicat verbum carnem s. hominem factum esse, non tamen eò ipsò negare, verbum non factum esse embryonem, cum & embryo verus sit homo, contineanturque ejus conceptu futuri hominis initia, ut Minutius Felix in Oclavio loqui amat. Ad secundum verò dicendum, à posse

ad esse non valere consequentiam. Sicut Deus omnipotens in creatione potuit unô in momentô, omnes creaturas producere, non tamen voluit, sed intra sex dierum spatium omnia creavit; ita & Spiritus S. in opere productionis humanæ Christi naturæ, potuisset omnia membra Christi in instanti formare, non tamen ita placuit, quia membrorum Christi formatio, formationi membrorum reliquorum hominum debebat esse conformis Heb. II. 17.

## §. XX.

Unde caro Christi formata fuerit, satis clarè ex verbis nostris apparet. Cum enim in illis dicatur Sanctum ex Maria nasciturum, indicatur, carnem Christi non aliunde, quàm ex substantia Mariæ ortum suum trahere. *ἐκ οὗ* notat Christum natum ex Maria, non corpus assumpsisse *ἐξ ἑαυτῆς*, ut Anabaptistæ somniant, inquit Drusus in Critic. Sacris. Caro Christi in utero Mariæ est elaborata, propterea etiam fructus ventris ejus dicitur Luc. I. 42. Huc facit frequens in Scriptura Christi appellatio, quâ filius hominis dicitur. Sic enim vocatur, non quasi factus sit filius hominis per traditionem in mortem, neque quod ex amore hominibus donatus, neque quod, antequam factus est homo, genitus fuerit per fidem, atque eô pactô filius fuerit eorum hominum, qui faciebant voluntatem Patris cœlestis: sed quia ex homine homo est. *Nam quomodo Filius Dei hominis filius erit natus vel manens in Dei forma, formam servi acceperit, si non potente Deo verbo ex se, & carnem intra Virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemptionem animæ & corporis nostri perfectus est natus: & corpus quidem ita assumpsit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecerit? Virgo enim non nisi ex Sancto Spiritu genuit, quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ*

*minæ*



57

*minæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Iesus Christus per humanae conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi inuenta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est: inquit Hilarius lib. X. de Trin. Confirmant hoc etiam Scripturæ dicta solis radio clariora Genes. III. 15. Gal. IV. 4. Rom. I. 3. IX. 5. in quibus nobis proponitur semen mulieris, factum ex muliere, ex Patribus, ex semine David quoad carnem. Quin & genealogia Christi ab Evangelistis Luca & Matthæo texta, illud demonstrat, quod Christus veram carnem assumpserit, ceu Excell. Dom. Præsidis disputatione de vera carnis Christi ex Maria & Patribus origine ostensum. Notanterque dixit Angelus ex te, non verò in te, ut deliria hæreticorum refutaret, qui corpus Christi aliunde in Mariam illatum, aut per eam non secùs ac aqua per canalem transit, transiisse somniabant: adversùs quos illud Athanasii epist. ad Epictetum urgemus: non dixit quod gignetur in te, ne extrinsecus in illam inductum corpus esse putaretur: sed ex te, dixit, ut quod vere genitum esset, originem ex illà sumpsisse manifestè crederetur. Et rursus ex Homil. quæ inscribitur contra hæreses: Si dixisset per te, verisimile quid haberet hæc impudentia; Cum autem dixerit ex te, demonstrat, ex ipsà divinum verbum humanum sumpsisse templum. Refutantur etiam hodierni Anabaptistæ, quod allegatà Dn. Præsidis disputatione factum, quæ si lubet, videri potest.*

§. XXI.

Incarnationis finem ex hoc nostro dicto observandum jam sistimus, qui est nostra redemptio ac salus, quæ obtineri non potuisset, si in carnem Dei Filius non venisset. Venit enim, dicit Christus ipse, filius hominis salvare quod perierat Matth. XIX, 12, & Luc. XIX, 10. *Si ergo non perisset ho-*

mo, *filius hominis non venisset*, notante sic Augustin. Serm. IIX. de verb. Apostoli. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus IESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere, inquit rursus Apostolus 1. Tim. I 15. & Rom. IIX.3. Quod impossibile erat legi, quia infirmabatur per carnem, DEUS filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne; unde Augustinus Serm. XIV. de Tempore. *Ad hoc, inquit, descendit Christus in uterum virginis, ut exinde susciperet membra humana, que traderet cruci & mortem induceret antiquo draconi. Nostra causa occasionem illi descendendi præbuit, & nostra transgressio verbi divini humanitatem elicit, adeo ut ad nos veniret, & appareret inter homines Dominus. Illius enim incorporationis nos causam dedimus;* inquit Athanasius libr. de Incarnat. Non ergo audiendi Pelagiani, qui teste Cassiano lib. I. de Incarnat. c. II. dicebant: Dominum nostrum IESUM Christum in hunc mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse; quem errorem renovasse Petrum Abælardum ex Bernhardo constat, conf. Excell. Dom. D. von Sanden controverf. decad. X § 3.4. Atque cum hæc incarnationis Christi causa finalis fuerit, ut redimeret nos, nemini obscurum esse potest, incarnationem Filii DEI non futuram fuisse, si homo in statu integritatis permansisset. *Si non haberet caro salvari, neque verbum DEI caro factum esset*, sunt verba Irenæi lib. V. c. 14. Quocum convenit Athanasius lib. III. contra Arianos scribens: *Neçessitas indigentiaq; hominum anterior est, quàm Verbi nativitas, quâ sublatâ, carnem non induisset.* Eiusdem etiam sententiæ sunt Augustinus & Leo Magnus. Illius verba modo laudavimus. Hujus Serm. III. Pentecost. sic sonant: *si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in sua honore natura*

*natura mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret, neque ut sempiternus temporalitatem subiret, aut equalis DEo Patri Filius formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret. Necessum præterea erat Filium DEi sic incarnari. Patres quidem, quorum testimonia congeffit Petavius Tom. IV. Dogm. Theol. lib. II, cap. 13, §. 6. seqq. diversimodè de necessitate incarnationis loquuntur, ita ut quidam quandoq; videantur eam negare, possunt tamen cum aliis conciliari, si observentur distinctiones à Gerhardò in Exegef. I oc. IV. §. 3. adductæ, & àb Hornejò part. II. Dispp. Theol. Disp. 1. sect. I. th. II sic applicatæ. Potuisse DEum simpliciter & absolute loquendo etiam sine satisfactione peccata omnia nobis condonare, sed per justitiam suam & veritatem non potuisse. De veritate res manifesta est: disertè enim dixerat, moriturum Adamum, si fructum vitium gustasset. De Justitia autem id inde constat, quia enim satisfactionem pro offensa exigere opus Justitiæ est, nec aliter tamen quam per satisfactionem liberati sumus, ita id Justitiam divinam postulasse rectè colligimus, cum non à priori, sed posteriori talia judicanda sint.*

§. XXII.

Sed alia adhuc de Spiritu S., de Christo & de Maria Virgine, ex nostro loco hic in medium adduci possunt. Tertiam Personam Trinitatis esse verum DEUM textus noster monstrat, dum de opere productionis humanæ Christi naturæ Angelus agens, Spiritui sancto sanctificationem carnis Christi attribuit, ex quâ olim Fulgentius lib. III. ad Trasim. c. XIV. divinitatem Spiritus S. adversus Arianos rectè inferbat. *Quodsi, inquit, homo Christus sine Sancti Spiritus gratia plenè sanctificari potuit, superflue diceretur collatio illius unctiois. Si autem sine sancto Spiritu plenè sanctificari non potuit, & plenam*

nam sanctificationis gratiam sine Spiritu S. Christus homo non habuit, utpote quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, qui de seipso dixit; & ego sanctificabo me ipsum, & in quo Sancti Spiritus sanctificatio simul agnoscitur, quoniam unxit eum DEUS Spiritu S. & virtute. Quomodo quis Spiritum minorem Patre & Filio audeat dicere, sine quo sanctificationis perfectionem videt constare non posse. Sociniani quidem ex eo, quod Spiritus S. virtus dicatur, personalitatem Spiritus S. destruere allaborant, verum frustraneò conatu. Sciendum enim est, duplicem esse virtutem, ἐνεργητικὴν s. accidentalem, & ὑποστατικὴν seu substantialem, ejusdem cum DEO essentia. Posteriori modo Spiritus S. dicitur virtus, non verò priori. Nulla ergò est consequentia; Spiritus S. est virtus, ergò non est DEUS. Filius DEI hinc inde in scriptura dicitur virtus, nihilominus tamen is verus DEUS est, cum Paulus dicit: Christus est DEUS benedictus in secula Rom. IX. 5. & I. Joh. V. 20. ὁ ἀληθινὸς θεός. Falsa quoque est hypothesis Socinianorum ex Samaritanianorum lacunis hausta, quasi Spiritus S. virtus Dei sit talis, quæ afflatum seu motum in rebus creatum significet.

§. XXIII.

Porro Christus verus homo, sine peccato originali conceptus sistitur verbis, *sanctum quod ex te nascerur*. Sanctus dicitur ab uterò, nam qui sublaturus peccatum, peccati expers esse debuit. Propterea Spiritus S. venit super Mariam, ut Christi conceptio sancta esset, & Christus ipse sanctus ab ipsò ortu, non tantum ex vi unionis hypostaticæ cum verbo, sed etiam vi talis ac tam divinæ conceptionis, quod scilicet conceptus esset non ab homine, sed de Spiritu Sanctò. Quare Christus vi hujus conceptionis nullum peccatum originale contrahere poterat, uti nos in peccatis nascimur, sed erat purissimus & sanctissimus. Qui plura de sanctitate carnis Christi

Christi legere desiderat, adeat Petavium Tom. IV. lib. XI. c. 5. Cum etiam dicatur, propterea Sanctum quod ex te nascetur, appellabitur Filius DEI, Nestorius, statuens nudum hominem ex Virgine fuisse natum, refutatur. *Confundatur, inquit Theophylactus in h. l. & hōc locō Nestorius. Ille etiam dixit, quod non fuerit Filius Dei in utero Virginis quiescens incarnatus: sed nudus homo è Virgine fuerit natus, posteaquam habuerit DEum factum sibi comitem. Audiatur igitur, quod illud, quod nascebatur in utero, erat Filius Dei. Et non alius quidem fœtus est uteri, alius autem Filius Dei, sed unus & idem fuit Filius Virginis & Filius Dei. Videatur & Beda ad cap. 1. Lucæ. Confunditur etiam in confusione sua Evtiches: Nam Angelus & nascituri hominis & Filii DEI, seu quod idem, & naturæ divinæ & humanæ distinctam facit mentionem.*

§. XXIV.

Mariam quod attinet, ex nostro textu apparet, eam fuisse matrem Christi, quo ipso refutatur illorum opinio, qui negarunt Christum habuisse Matrem. Horum mentionem inicit Augustinus lib. de Fide & Symb. qui habetur Tom. III. lbi autem pag. m. 143. his in eos invehitur verbis. *Detestandi etiam sunt illi, qui Dominum nostrum J. C. Matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumq. sexum, & masculinum & femininum honoraverit, & ad curam DEI pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed etiam illum per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos ad negandum Christi matrem cogit, quod ab eo dictum est. Quid mihi & tibi est mulier, non dum venit hora mea: sed potius admonet, ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus Majestatis personam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est, & illa erat hora, qua nondum venerat, quando dictum est: quid mihi & tibi, nondum venit hora mea id est qua te cognosciam: tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, & dilectissimo discipulo hu-*

manifestè commendavit. Nec istud nos morveat, quod cum ei nunciaretur mater ejus & fratres, respondit: *Quæ mihi mater, & qui fratres &c. sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, cum parentes impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisq; putaverit, non eum habuisse matrem in terris, quia dixit, quæ mihi mater? cogatur necesse est & Apostolos negare habuisse patres in terris, quoniã præcepit eis dicens: Nolite vobis patrè dicere in terris, un<sup>d</sup> enim est pater vester, qui in cælis est.* Veteres adversus Nestoriũ Mariã dixerunt *θεοτόκος*. Redè verò sic eandem appellasse, verba nostra satis firmiter probant. Dicitur enim in illis ex Maria natum esse Filium Dei. Bernhardus Hom. I. de laud. virg. ex *γεννηθεις* voce, hic in genere neutrò emphaticè à Spiritu S. adhibitã thesin hanc confirmat. *Quod nascetur ex te Filius Dei vocabitur h. e. non solum, qui è sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit te, sed etiam id, quod de substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum is, qui à Patre est, ante secula genitus, tuus quoq; à modo reputabitur filius.* Existimavit quidem impia Nestorii hæresis, Mariam propterea nomine *θεοτόκος* vocandam, quia utero enixa est hominẽ, postea factum Deum aut cum Deo conjunctum. Sed hanc sententiam benè refutat Vincentius Lirinensis in Commonitorio c. 21. scribens. *Non ita S. Maria θεοτόκος, sed ideo potius, quoniam jam in ejus sacrato utero sacro-sanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atq; unicam personæ unitatem, sicut verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.* Ut autem Sanctum ex Maria natum fuerit, exinde tamen concludere non licet, ergo Maria peccato caruit. Si enim ad hoc, ut Christus sine labe nasceretur, requirebatur, ut Maria expers peccati esset, etiam parentes Mariæ: isthoc peccato caruisse oportet: alioquin neq; Mariam, eo carentem, gignere potuissent, & sic progressus in infinitum foret. Sanctum ergò ex Mariã natum fuit, non quia mater peccatò caruit, sed quia Spiritus S. eam obumbravit, Confer. Scherz. Anti-Bellarm. disp. XV.

obj. IX. circa finem,  
S. D. G.

00 A 6445


ULB Halle 3  
002 937 573




5b.

12 von HL 96.









DISSERTATIO EXEGETICO - THEOLOGICA,<sup>77</sup>  
DE  
**OBUMBRATIONE**  
**SPIRITUS S. SUPER** 28  
**MARIA,**

Ad Verba Luc, I, v. 35.

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HAEREDAE, &c. &c. &c.  
*CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICAE,*

SUB PRÆSIDIO  
**DN. FRIDERICI DEUTSCH,**  
S. Theol. D. & Profess. Primar.  
*placido Eruditorum submittit*  
*Examini*

**M. HENRICUS SIEDERZ**  
Reg. Pruss.

IN AUDITORIO MAJORI,

Anno MDCCVII. d. Julii.

REGIO MONTI, Typis REUSNERIANIS.